



Conciones, Siue Conceptvs Theologici Ac Praedicabiles, In Omnes Totivs Anni Dominicas

Opvs Novvm Figvris, Allegoriis, Similibvs Ex Sacris profanisq[ue]
Scriptoribus plenißimum, cum occurrentium fidei controuersiarum
tractatione.

De Sanctorum Festiuitatibus Annitotius - Nvnc Demvm Integre Svppleti,
Concionibus per octauam Vener. Sacramenti suo ordine intersertis

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1620

In Festo S. Andreae Apostoli. Ambulans Iesus iuxta mare, &c. Matt. 4. 1. De
vocatione diuina, eiusq[ue] in peccatore operatione. 2. De duplici eius
diuisione. 3. S. Andreae singularis prærogatiua. 4. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56205](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56205)

IN FESTO S. ANDREAE APOSTOLI

Partitio.

- I. De vocatione Diuina eiusq; in peccatore operatione.
- II. De eius duplici diuisione.
- III. De S. Andrea singulari prerogatiua.
- IV. De eius ab aquis vocatione.
- V. De crucifixione, & constantia in poena subeundis.

Ambulans Iesus iuxta mare Galilee vidit duos fratres, &c. Matth. 4.

FIGVRA.

Exod. 1.

Quemadmodum olim in veteri lege, vti Exodi initio legere est, Deus ter maximus egypti aquis paruulum Moysen à matre expositum eduxit, vt eum deinceps suum apud Reges legatum, in tribus Israeliticis vicarium, decretorum suorum legislatorem, & vniuersæ Synagogæ principem constitueret: sic hodie in optabili legis gratiâ tempore omnipotens eiusdem Dei filius, sed in hoc mundo incarnatus, ab aquis maris Tiberiadis, non minori miraculo p scatorem humilem, Andream nomine educit, eum vt deinceps ad summum honorem euehat, verbi sui prædicatorem, mysteriorum suorum interpretem, Euangelij doctorem, passionis testem, denique de Ecclesiæ Principibus vnum constituat. Hæc porro vocatio admirabilis est, cuius vt mirabilia singula commemorem, oculos ad cælos Deumq; conuertamus, vt inde subsidium deuocemus, simul ac Deiparam matrem obresemur, suas vt ne denegent suppetias; hanc ob rem cum Angelo eam omnes salutemus, dicentes,

AVE MARIA.

Amorem Dei erga homines celebrat

Certissimum, atq; exploratissimum est, & experientia quotidiana notissimum, Dei erga genus humanum amorem in omnibus semper rebus mirificè eluxisse, quin & sensibili

quadam ratione creaturis etiam sensus exper. vniuersis
tibus cognoscendum se & perspicendum i. orbis
nitiis in rebus præbuisse. Si vniuersus terrarum
orbis hac super re interrogaretur, & suū dice
re testimonium compelleretur, vt quod verè
sentiret, apertè fateretur; nulla in orbe creatura,
qualis qualis ea demum fuerit, modo vel esse
habeat, futura est, quin liberè confessura, &
pro creatore testatura sit, illius in homines af
fectum & extremum ac summum esse: & nullo
non admirando & singulari quodam cum
stupore exclamatura sit, *Quid est homo, quod* P sal. 8
memores eius, aut filius hominis, quoniam vidi
tas eum, tot in eum effusus benedictioibus &
gratiarum affluentia? cur tanti cum facis:
tanto eum affectu prosequeris?

Fatendum nihilominus ad agnoscendum, in vna vocatione diuina amorem hunc potissimum elucere, Deumque, homines ad se vocando, aque mundi turbis & occupationibus seuocando, quò suo eos dedicerit cultui & obsequio, incredibilem in hoc dilectionem & amorem patefacere, cui similis nullus vnquam existit. Hunc per Prophetas suos Deus ipse sæpenumerò repræsentat, quin etiam queribundus & exoptulans, *Locutus sum* inquit, *ad vos* Hierem. 1.
manè cõsurgens, & loquens, & non audistis me. 11. 25. 29. 35.

Exaggerans hoc ipsum Apostolorum maximus Petrus, sic loquitur, *Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriã in Christo Iesu* quali diceret, Magnus ille animarum nostrarum creator Deus & infinitam honitatem suam, & ineffabilem amorem tum manifeste, & eminenti quadam ratione nobis patefecit, quando filij sui Iesu Christi incarnatione & in mundum hunc descensu nos vocauit, vt regni cœlestis hæreditatem adiremus, & gloriã æternam capefferemus. Eò verò amor est maior & eminentior, quod eos vocet, qui vocati protus indigni sunt. Testatur hoc ipsemet de se in Euangelio dicens, *Non veni* Math. 9.
vocare iustos, sed peccatores Exemplum verò sententiæ huius sit, quòd publicanum à telonio, latronem à cruce, Paulum denique à credentium persecutione & minis ad sui sequendam euocauerit.

Hunc Dei in hominum vocatione amorem egregiè & ad oculum repræsentat præclara illa & singularis parabola Matthæi 20. in quacordatus quidã ac prouidus paterfamilias summo

non mane strato se corripens exijt conducturus operarios, eosq; in vineam suam missurus; & diuersis quidem horis exijt, tertia, sexta, nona & vndecima. Parabola huius sensus indicat, qua Deus erga Ecclesiam suam sollicitudine afficitur, & quo electos & prædestinatos, velut sedulus quidam pater, amore prosequatur, magna eos cura & anxietate ad obsequium suum euocans & conducens, hos scilicet summo mane, & iam inde à mundi exordio, vii Patriarchas; illos hora tertia, sicut Prophetas; alios hora sexta ac nona, vii Legispretores ac Sacerdotes Mosaiscos; alios deniq; circa vesperam & hora vndecima, Apostolos inquam; & hæc patrisfamilias cura extremum creatoris erga creaturas suas affectum dilectionemque manifestat.

Quoniam & alio sub ænigmate idem Dei amor & sollicitudo in Euangelio representatur. Matth. cap. 22. dicitur homo Rex nuptias filio suo instituisse, & emisisse seruos, vt vocarent inuitatos ad nuptias: viso ergo neminem inuitatorum ac denuo per seruos vocatorum venire velle, seruis ait. *Ite ergo in exitus viarum, & quoicumque inueneritis, vocate ad nuptias.* Eminentem profectò & inauditum rex ille amorem simul & affectus excessum patefecit, ad tantum dum euehit honorem (qualis est ad epulum regale vocari) homines viatores, nihil minus quàm de nuptijs cogitantes, claudos adhæc, cæcos, & pauperes, penitus hac re indignos, & qui nunquam vel spe huiusmodi sibi beatitudinem vel somniando promiserant. Potens ille Regum Rex longè maiorem patefacit amorem, quando homines, qui non nisi peregrini & viatores hoc in mundo sunt, ad se vocat, & omnigenis sceleribus infames ad regias beatitudinis cœlestis nuptias inuitat.

Duo hæc in parabola diligentius notanda occurrunt. Primum, vocatos omnes & inuitatos adesse noluisse; vt hinc euidenter constet, non omnes per baptismum, fidem, diuinas inspirationes, vota monastica ad salutem vocatos, salutis compotes fore: iuxta illam Redemptoris hic sententiam, *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Alterum, neminem ad nuptias intromissum, qui non antè fuerit inuitatus; vt nostram hinc discamus à diuina vocatione salutem dependere, *Non enim volentis, neq; currentis, sed miseris est Dei.* Salus quippe nostra

non tam à nostra voluntate, quàm à Dei ad eandem nos vocantis misericordia dependet. Hanc autem propositionem ac doctrinam Redemptor ipse in Euangelio confirmat dicens, *Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum: id est, salutem nemo adire posset, nisi Pater æternus suum auxilium adderet, cooperaretur, ac misericordiam præstaret.*

Ceterum sicut hæc diuina vocatio infiniti cuiusdam amoris est testimonium, ita & primus effectus, & æternæ exordium prædestinationis. Testatur hoc ad Romanos scribens Apostolus, *Quos prædestinauit, hos & vocauit.* In quæ verba Angelicus D. Thomas sic commentatur, *Primum, in quo incipit impleri diuina prædestinatio, est vocatio hominis; hic est primus effectus diuinae prædestinationis, qui ex Dei gratia, & misericordia procedit.*

Docet hoc ipsum idem Apostolus cap. mox sequenti, *Non ex operibus, sed ex vocante dictum.* id est, non propter bona opera, sed ex puro beneplacito & sua voluntate vocantis. Hæc de re pluribus & quidem eleganter agit magnus Augustinus, ac præsertim quæst. 1. ad Simplicianum. Atque vt prædestinatio altum habet exordium, longèq; petitur, nempe ab æterno & ante omnia sæcula, sic & vocatio; vt hinc constet eam præcedere ac priorem esse hominum meritis. Sic enim de ea loquuntur Prophetæ, ac præsertim Isaias, apud quem legere est, *Audite insula, & attendite populi de longè, Dominus ab utero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.* Sunt hæc Redemptoris Iesu verba, & sub insularum iliarum Deus suos longinquarum nomine Ecclesias ex omnibus vocat iam terræ nationibus etiam remotissimis collectas inde à matalloquitur. Longè sanè petita & antiqua illa est vocatio, quæ ià inde à matricæ & utero sit materno, inolitus ille est amor, & effectus inuenteratus qui iam tum, antequam essemus, incœpit. Vnde & per eundem Prophetam alio loco simili in re loquitur Deus, *Et tu Israel seruo meus, Iacob quem elegi, semen Abraham amici mei, in quo apprehendite, ab extremis terra, & à longinquis eius vocauit te.* Per illas autem distancias, extremitates, interualla, elongationes, mundi exordia intelligenda sunt, vitæ initia, sæculorum æternitates.

Huc item facit, quod eodem capite legimus.

V V V V 3 Deus

Vocatio diuina primus prædestinationis effectus. Rom. 8. D. Thom. in ep. ad Rom.

Rom. 9.

Tom. 4. li. 83. quæst. 2.

Isai. 49.

Isai. 41.

Deus namque apud populos & nationes exter-
nas de potētia sua ac misericordia disceptans,
has proponit quaestiones, *Quis suscitavit ab
Oriente iustum? & vocavit eum, ut sequeretur se?*
*Quis haec operatus est & fecit, vocans genera-
tiones ab exordio? Ego Dominus, & non sseimus,*
qui feci haec omnia. Suscitare iustum ab O-
riente Sole, aut à parte mundi Orientali, est
eum ab aeterno praedestinare; & vocare ge-
nerationes ab exordio, est eas iam inde ab
orbis principio & primis vitæ incuna-
bulis ad salutem dirigere. Sic se vocatum glo-
riatur Apostolus, dum ad Galatas sic scribit,
*Cum autem placuisset ei, qui me segregavit ex
utero matris meae, & vocavit per gratiam
suam.*

Ibidem.

Vocatio
mundo ex-
ordiente
orditur.

Galat. 1.

Vocatio &
electio sa-
pe in Scri-
ptura pro
vna ca-
demq; re
sumuntur.

Sophon. 1.

Apoc. 17.

II.
Vocatio
diuina du-
plex.

Gen. 19.

Matth. 23.

Hinc fit in scripturis hominum vocationem
sepe numero pro electione ac praedestinatione
sumi, & duos illos diuinae voluntatis actus, et si
in se differentes, & quoad intelligentiam no-
stram vno altero posteriores, confundi, vnum
eumdemq; putari, deniq; pro vno capi: ad e-
um vocari, eligi, aut praedestinari multis in Scri-
pturae locis idem omnino lin. Apud Sophoniã
imprimis, qui ait: *Sanctificavit vocatos suos, id
est, quos praedestinauerat.* & in Apoc. *Quo-
niam Dominus Dominorum est, & Rex Re-
gum; & qui cum illo sunt, vocati & electi & fi-
deles.*

Notandum praeterea duplicem à parte Dei
vocationem esse; vnam efficacem, alteram
sufficentem: prima semper scopum serit, &
suum sortitur effectum; non autem altera, sed
media habet ad eum consequendum sufficien-
tia. Vtraque in Lothi & generorum eius voca-
tione comprehensa est. Nam, vt Genesios pro-
dit historia, Angeli generos iusti huius verè
vocarunt, inuitaruntque, vt se subducerent,
atque vrbe egrederentur; at Lothum socerum
manu arrepta egredi cõpulerunt, & in montes
deduxerunt. Vocatio inuitatioq; generis facta
ad salutē consequendam potens & sufficiens,
gratiam sufficientem; sed coactio, violentia
que Lotho quodammodo inuito facta, vt se
in tutum collocaret, efficacem repraesentabat.
Idem omnino in parabola inuitatorum ad
nuptias regales, quarum meminit Euange-
lium, legimus contigisse; ad quas alij dumta-
xat sunt inuitati, alij etiam compulli & coa-

cti intrare. Posteriores imago sunt eorum, qui
per gratias efficaces vocati sunt, & certissime
salutis compotes fiunt; priores verò eorum,
qui sufficientes solum consequuntur, & non
semper post vocationem ad finem ad quem
à Deo vocantur veniunt, quia venire detre-
dant.

Sunt insuper duæ aliae vocationes; vna inter-
ior, & intus in anima agens, recta cor insti-
gationibus, motibus, & internis occultisque
inuitationibus feriens; quæ teste Diuo Tho-
ma, aliud non est, quam quidam animi instin-
ctus aut motus, per quem à Deo mouetur & in-
ducitur ad assentiendum ijs, quæ ad fidem aut
virtutem spectant. Nititur hæc illis Isaac ver-
bis, quæ iã supra attulimus, *Quis suscitavit ab
Oriente iustum, & vocavit eum, ut sequeretur se?*
Atq; huiusmodi vocatio planè est necessaria:
numquã enim ad Deum animus conuerteretur,
nisi illum ipse ad se conuerteret, & attrahe-
ret. Hinc in Threnis Ieremiam legimus oran-
tem, *Conuerte nos Domine ad te, cor animus
que nostrum pulsando, & conuerteremur tibi
auscultantes.* Atque hæc vocatio praedestinatis
est efficax, & semper ad vocati salutem ten-
dit.

Alia exterior est, ac forissecus proue-
niens, & ore Prophetarum, praedicatione Ap-
ostolorum, scriptis Doctorum, & Sancto-
rum librorum lectione peragitur. In figu-
ram huius rei legitur sapientia misisse ancil-
las suas, vt vocarent ad arcem, atque hoc mo-
do omnes omnino mortales vocati sunt, &
vniuersi vtriusque poli incolæ audito prædi-
cationis Apostolicæ sono, Euangelioque
terra marique promulgato, & per quatuor
mundi angulos denuntiato, iuxta illud Psal-
mographi vaticinium, *In omnem terram exi-
uit sonus eorum, & in fines orbis terra verba
eorum.*

Ceterum vocationis Apostolorum digni-
tas & excellentia in eo consistit, quod exteriori
vocatione ab ipso met. Dei filio, qui admirabi-
li quadam ratione hominum corda commo-
uebat, vocati sint. Sic hodie Andream Apo-
stolum vna cum Petro fratre in litore o-
ambulans vocavit, atque hoc Euangelio
praesenti continetur, in quo legimus, *Ambu-
lans Iesus iuxta mare, vidit duos fratres, &c.*

Vocatio
interioris
definitio.

Definitio
vocationis
exterioris.

Thren. 1.

Psal. 18.

Apostoli
exterioris
vocati
sunt.

Et dixit eis, venite post me. Vt ergo ordine quodam ac methodicè tam illustrem materiam deducam, pro consuetudine bipartito distribuam, primo namque S. Andree vitam, mores ac virtutes deinde mortem, passionem ac reliquam martyrij eius seriem commemorabo.

III. Principio ergo, vt amplum hunc & spatiosum Apostoli huius præconiorum campum ingrediar, dico referente Petro Damiani sermone, quem de S. Andree composuit, in magnum eximiumque sancti huius viri honorem, nomen & gloriam cedere, quod primus fuerit Christianus, primus Iesu Christi discipulus, primus etiam, qui Euangelij iugo se subiecit, suo Petrum fratrem exemplo eodè inuitas, qui reliquorum deinde Apostolorum factus est Princeps, atque vniuersalis Ecclesiæ caput, idque forsitan ob tam generosum S. Andree actum, ac in recognitionem pietatis, fidei, zeli ac promptè ipsius in Christo sequendo, & rebus omnibus per paupertatem voluntariam repudiandis obedientiæ. Egregia historia rem faciet manifestior.

649. Tyrannus doctus ille sacrarum litterarum interpres, hanc in illa Geneseos verba, *Non auferetur sceptrum de Iuda, ac dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est.* quæstionem mouet, & è curiositate quadam percontatur, cur corona Israel in tribum Iuda potissimum translata sit, & quamobrem regnum hoc nobilissimum, velut hæreditariū ac successione quadam continuans, in hanc potius familiam quam alias deriuatum. Auctor incognitus & Tiel annus in hæc Psalmistæ verba, *Facta est Iudæa sanctificatio eius,* respondent, quod tribus huius duces in maris rubri vado pertransiunda ceteris generosiores, dum A Egypto egressis & in libertatem abeuntibus mare non sine singulari miraculo factū est peruium, primi reliquam agmen audacter antecesserint. Hebræorum namque traditio est, Mose virga æquor percussit, & ipso in duodecim diuisiones quodammodo abeunte, A Egyptijs à tergo prementibus, montibus dextrorsum & sinistrorsum imminentibus, profundis antrorsum fluctibus minitantibus, omni populo contremiscente, palpitante, & præformidine tantū non emorientē, adeo vt nemo iter sternere aut vadum iam vento arefactum tentare auderet, tandē ceteris audentior ac generosior Amunadab, tribus Iudæ Principem, sumpto animo, horrorem contribulium suorum spectando, & in Deum cœli spe coniecta, arrepto quantocius tribus suæ vexillo, primū in arenas marinas ingressum, eoque præeunte, reliquos contribules mox secutos, illorum deinde exemplo reliquas tribus, turmas, ac familias mari se commisisse. Deū aut ob tam generosum facinus, tribus huic benedixisse, ac voluisse, vt continua successione de patre in filium corona regni penes solos de Iuda natos maneret, hique soli regni titulo ac iure supremam in reliquis omnes tribus auctoritatem ac potestatem obtinerent.

Cum omnes historiæ huius partes, & circumstantias perpendo, ipse mecum statuo, quin & vos, si modo animū aduertatis, haud diffitebimini, in Andree nostro hæc omnia quam exactissime velut in re figurata contigisse. Ipse nāque, cū primus verbis Iesu Christi, veluti olim Moyses virga, cruce iter cœlestē referantis credēs, in tribulationum vadas se coniecisset, & per saxosos præcipitesque Euangelicæ doctrinæ calles semitā strauisset, ceteris hoc pacto ad idem faciendum atque imitandum iam dato exēplo præeundo, mirū videri nemini debet, si Ecclesiæ nūfulam ac coronā, id est, iustificatū supremū, de domo illius auferri noluerit, sed in fratribus ipsius, beati inquam Petri veritice manere permiserit Deus. Hanc scilicet gloriā, prærogatiuam, atque decus vniuersæ familiæ ac posteritati vnius viri iusti animositas, virtus, atque fortitudo atulit.

Inter primos ac fundamētales tēpli illius mystici, quod olim vidit Ioannes, lapides primū obtinet locū Iaspis. Gemma hæc, vt quidē gemmarij & naturalium rerū cōmentatores prodidere, fortitudinis est & conflatiæ symbolū, quæque obstat, vt à quocumque gestatur, metu is ac formidine nō conterreatur. Hoc in Apostolum nostrum mire quadrat, licet vel nominis eiusdem etymologiā ac significatum, vel vocationē eius ac sortē, statumque intueamur. Statum quidē nam vt Iaspis.

Apo. 21.

S. Andreas per Iaspide repræsentatus.

Iaspis.

lapis primus templi huius umbratici fundamenti lapis fuit, ita S. Andreas primus Apostolos reliquos inter à Christo Domino electus est & vocatus, quo primum fundamentum, basis, ac princeps Ecclesiæ suæ foret. Etymon vero: nomen enim illius cum gemmæ huius proprietatibus optime convenit: Andreas enim Græca notione virilitatē, fortitudinem, virtutem ac magnanimitatem sonat.

In Zachariæ Prophetia lego, quod his mire deseruit: *Educat lapidem primum, & exaquabit gratiam gratia eius.* Quocumque demum sensu hæc capiantur, nullus erit proprius magis atque accommodatior, quam si ad S. Andream hæc referamus, & in ipso prophetiam hanc impletam dicamus; non tã ob potestatem illi simul & reliquis Apostolis, communi omnibus prærogativa, collarâ (cuius apud Ioannem meminit Redemptor dicens: *Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos:* quæ ob singulare illud privilegium ipsi imprimis datum, quod in cruce pro nomine Redemptoris expiravit: in quo Domino suo ac magistro per similes fuit, eandemque cum illo, sortem subiit: adeo ut illa Iobi verba non immerito usurpare ipse queat, *Vestigia eius secutus est pes meus, &c.*

Et est profecto mirum, Deum Apostolos & obscuros piscatores, qualis Andreas erat, filio suo unigenito auctoritate potestateque exæquasse, ac velut socios & pares illius constituisse. Inter omnia autem magni huius Dei arcana ac proposita nullum derego profundius aut secretius, nec in operibus ipsius ullum admirabilius, quam quod ad orbem uniuersum subigendum hominum vilissimorum & abiectissimorum opera sit usus. Sed est hæc communis & incomprehensibilis magni illius Dei procedendi ratio, qui magna semper & elata humilibus & obscuris instrumentis exequitur.

Madianitas deleturus & excisurus cum esset Israel, ecce tibi trecenti, imbelles & inertes selecti: quibus ea erat animi imbecillitas ac languor hostiumque tantus timor, ut ne vel in terra prostrare se, sicim commode restincturi, auderent, sed ne paulisper quidem morari ausi, manus fluentis iniicerent, atque animalium in mortem aquas lam-

berent, uti patrijs in Antiquitatibus observat Iosephus. In quo, & per quod factum omnipotens, velut Deus Sabaoth, hanc victoriam illustriorem, & gloriosiore reddere voluit.

Generosa illa virago Iudith, cum Holofernem tollere statuisset, & iam iam illi ceruicē esset incisura, corde ad Deum sublato, & genibus in terram prostrata, sic orando ait, *Erit enim hoc memoriale nominis tui, dum manus femina deiecerit eum:* perinde ac si diceret: Hoc faciendo & illustre hoc facinus exequendo immortale nomen tuum reddes, & ad futuras generationes æterna recordatione recolendum transmittes, & omnes adeo orbis gentes laudem tuam celebrabunt, ac sapientiam potentiamque obtuscescent, audientes scilicet, ad tam potentem indomitamque aduersarium deiciendum ambellis te mulierculæ operam, dextram, animum adhibere voluisse. fateamur ergo & concedamus e viraginis huius verbis necesse est, Deum nomen suum ac laudem vere immortalitati in eo sacr. fle, quod ad mundum uniuersum sibi subiugandum, & potentes terrarum monarchas ac Principes voci suæ parentes reddendos, ad rem inquam tanti momenti ac ponderis, adeoque arduam peragendam non nisi pauperulos & duodecim tantum piscatores, inter quos primus vocatus est Andreas nos, adhibere voluerit, illorumque dextra de uniuerso amplissimi nos triumphos, & victorias incomparabiles mundo retulerit.

Ioab David: carum copiarum præfectus ac Princeps, Regi quoque suo fidus, & prudentia bellica instruitissimus, urbem aliquã hostilem iam iam armata manu inuasurus, ad Regem ilico nuntios misit, rogaturus, ut in castra venire ocyus ne grauaretur, obsidioni intercesset, & loci expugnationem coram intueretur, ut omnis victoriæ honos illi, non vero Ioabo, qui non nisi subditus cliens, ac de ducum regionum erat numero, ascriberetur. Historiam illam in rem præsentem ac propositum meum adaptans, iustissimum esse dico, nulli nisi soli Deo illustrem hanc Evangelij propagati victoriam ascribere. Quocirca hoc in bello non alios adhibere voluit duces ac bellatores, quam pauperulos piscatores:

Zach. 4.

Ioan. 20.

Iob 23.

Deus ꝑ apostolos filio æquauit.

Indic. 6.

Lib. 10. Antiq.

Iudith 9.

Mirum est Deum orbem conuertisse per piscatores.

2. Reg. 12. Ioabi sapientia

2. ad. 137. rores: quorum facile primus fuit Andreas. Ad-
eò vt Pfalmista: *Excelsi & Omnipotentis de-*
miratus opera meritiò dicere & nos post illum
repetere possimus, *Excelsus Dominus, & hu-*
milia respicit. & cum lobo dicere, *Profunda*
fluuiorum scrutatus est oculus Domini, & ab-
scoudita produxit in lucem: per abscondita hæc,
humilia, infima & vilissima intelligit. Vti e-
nim dynastas ac Principes illustissimorū do-
namus nominat, quòd omnium in oculis ver-
sentur, cunctis noti sint, ab omnibus colan-
tur & suspiciantur; sic paruos dicimus, ob-
scuros esse & absconditos, eò quòd quodam
modo lateant abditi, & vniuerso sint mundo
incogniti.

Gen. 14. Egregiam rei huius figuram suggerit Gene-
sis. In ea siquidem scriptum est, Abrahamo vi-
ctori à prælo (in quo trecentos & vndeiginti
vernaculos, aduersus tres Reges potentissi-
mos, qui Sodomam & Gomorham expilauerant,
nepotem eius Lothum in captiuitatem
abduxerant, & omnem illius substantiam diripuerant,
atmauerant) reduci, Regem Sodomorum
occurrisse, & hac illam oratione adortum,
Da mihi animas, quas ab inimicorum
manu vindicasti, cetera tolle tibi; iure enim
hoc tibi debetur. Cui Abraham generosa qua-
dam constantia & heroica rerum contemptu
respondit, Teuo animam meam ad Dominum
Deum excelsum possessorem cæli & terra, quòd
à filo subtegnis vsque ad corrigiam caligæ
non accipiam ex omnibus qua tua sunt, ne di-
cas. Ego dixi auis Abraham.

Cogitate, audi o es, Abrahamum Patriar-
cham Redemptoris Christi imaginem fuisse,
qui Lothum & Sodomitas ab interitu vindica-
uit, id est, iustos simul & peccatores redemit, &
ad Euangelij libertatem vocauit, idq; per so-
los seruos suos, id est, ignaros & ignobiles pi-
scatores Sodomorum Rex mundi est figura, qui
Iesu Christo diuitiarum ac scientiarum arma
dare potuit, sed ipse, velut alter Abraham, ni-
hil omninò illius è facultatibus voluit accipe-
re, ne quis forte cogitaret, mundum illi in
victoria comparanda & manubijs coaceruan-
dis suppetias tulisse, itaque de hominum re-
demptione ille gloriaretur. Docet hoc itidem
Apostolus, qui recta in hunc conceptum ten-
dens, Corinthijs sic scribit, *Infirmam mundi ele-*
git Deus, vt confundat fortia. Quanam rei hu-

Beff. de Sanctis.

ius causa, Paule? vt non gloriatur, inquit, omnis
cavo.

Inuentiones hæc sublimes sunt ac minimè
vulgares, sed planè admirabiles, ac præsertim
in ijs, quæ ad D. Andream spectant. An non e-
nim sublime, & prodigij prope simile, videre
hominem adeò obscurum & ignobilem mox
inter totius vniuersi Principes cooptari? (Con-
stitues eos Principes super omnem terram.) Pau-
perem ac simplicem piscatorem statim adeò
sublimem euehi, vt è Dei viuientis coadiuto-
ribus, & Messie legatis vniuersi constituantur: Hos
quippe titulos ac nomina sibi Apostolus vindic-
at, isq; gloriatur dicens, *Dei adiutores su-*
mus. & alio loco, *Pro Christo legatione fungimur.*
perinde ac si diceret: Quolnam esse nos
credunt homines? quamnam esse sortem nos-
tram putant? Sciant esse nos coadiutores Dei,
& magnos Iesu Christi legatos.

An non enim inauditum quid, nouum & pa-
radoxum, videre pauperem, ignarum, artium-
que omnium inscientem tam subito gratiæ ac
sapientiæ plenitudinem, quoad diuitorum
mysteriorum reuelationem, obtinuisse. Testa-
tur hoc, & promittit illis ipse mundi Redem-
ptor apud Lucam dicens, *Vobis datum est nos-*
se mysterium regni Dei. Apud Ioannem vero
sic legitur, *Omnia quacumq; audiui à Patre*
meo, nota feci vobis. O beatos ac ter & amplius
felices discipulos, qui tam doctum, sapientem,
atq; eruditum nacti sunt magistrum, qui sine
villo labore, pœna, aut studio ipsos Doctores,
& instanti vno facultatum omnium reddidit
peritos, & quidem adeo peritos, vt profundis-
simi quique Philosophi, scientiarumque cal-
lentissimi cum ipsis collati velut vmbriæ voli-
tarint, & in omni scientiarum genere infetio-
res exstiterint!

Ecquod inquam miraculum, obscurum Scientia &
quemdam ac triuiale, de fece populi, qualis eloquentia
Andreas noster, natura meticolosum indiser insignis S.
tum, indoctum, omnibusq; ad conuersandum Andream
cum hominibus communicationemq; huma-
collata.
nam necessarijs dotibus destitutum tanto tam
subitò eloquentiæ torrente perfundi, & ea do-
nari scientia, vt peccatores ad pœnitentiam
conuertat, Philosophis ruborem incutiat, ty-
rannos percellat, & ad Euangelium admitten-
dum omnes orbis nationes inuiter? Promisit
hoc omnibus in genere Apostolis Redemptor

XXXX dicens,

Luce. 21.

dicens, *Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarii vestri: d est, ad eos vos disertos, doctos & peritos reddam, omnes vt vobis cessuri sint, & loquentibus vobis orbis vniuersus in dicta vestra concessurus.*

S. Andreas vnus ex orbis iudicibus.

Denique an non summo stupore & admiratione dignum, vel auditu accipere, virum maritimæ, nauicatoriæ ac piscatui innutritum, vile, sine vllis meritis, & auctoritatis omnis experte ab ipso Dei filio eligi ac segregari, qui de supremis viuorum simul & mortuorum iudicibus in nouissimo mundi die foret: Verissimum est enim, quod ipse Redemptor, qui tunc prætor præses futurus est, olim discipulis

Matth. 19.

promisit dicens: *In regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis sue, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.*

IV. Cur S. Andreas ab aquis vocatus.

Ad hunc honorem ac dignitatem primum omnium Andream nostrum Saluator euexit, euanq; ab aquis & ora maritima euocauit, vt notat Euangelium, *Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres.* Nec verò id mysterio caruisse sit verisimile. Emiserat Pater æternus filium in mundum, vt mirabile Ecclesiæ suæ opus ac molimen inchoaret, vt colligere est ex illo Isaia loco, *Posui, inquit Pater Filio, verba mea in ore tuo, & in umbra manus meæ protexi te, vt plantes cælos, & fundes terram.* Apostolos ergo selegit, qui primi eiusdem lapides forent, in fundamentum nouæ huius fabricæ coaptandi. Hinc hodie eos iuxta littus & aquas colligere incipit, & præ ceteris Andream nostrum, qui, vt primus lapis foret, selegitur.

Isaia. 51.

Ios. 4.

Figura.

Rei huius figura ac velut auguriū fuit, quòd, cum Deus insigni miraculo vadū Iordanis siccaisset, quo transuadentes filij Israel iter in terrā p̄missam commodum haberent, præcepit Iosue, vt sic Israelitis ediceret, *Præcipe, vt tollant de medio Iordanis aluoc duodecim durissimos lapides, quos ponetis in loco castrorum, & rationem iussi reddens mox subnectit, Et quando interrogauerint vos filij vestri, dicentes, Quid sibi volunt lapides isti? Respondebitis eis, Defecerunt aquæ Iordanis ante arcam fœderis Domini, idcirco positi sunt lapides isti, monumentum filiorum Israel in æternum.*

Ipse Redemptor Iesus omnibus nobis iter in cælos patefecit, cum hanc ob causam triste

passionis mare & amaras mortis aquas esse ingressus, quod, teste Abacuco, insigne fuit prodigium: *Via fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.* In operis verò ad eò eximij ac prodigiosi memoriam duodecim ingentes è medijs aquis lapides, id est, duodecim Apostoli è profundo maris huius mundi fundo selecti sunt, qui rei huius testes sint, futurisque retro generationibus in monumentum æmemoriale, testes inquā passionis Dominicæ, testes mundi vniuersi redempti, testes noui itineris, quod in cælum ducat, iam parati, denique veritatis Euangelicæ testes. Et notare quemadmodum duodecim illi veteres lapides in media castra illati sunt, sic duodecim Apostolos in medijs Ecclesiæ locū cooptatos esse, quæ quòd castris & aciei sit pessimilis, *militans* dicitur, & propterea *terribilis vt castrorum acies ordinata.*

Iesus Christus verè est Angelus ille Apocal. fortis, cælo descendens, nube amictus, & iride coronatus. habebat is faciem solis instar rutilantem, & pedem dextrum super mare, sinistrum autem super terram collocabat. Nō vacabat ea res mysterio, vt se significaretur, è mari illum primos Apostolos velut primos quosdam lapides, qui Ecclesiæ fundamentum forent, educturū. Pes autem dexter maris superimponitur velut alio fortior, vt hinc magnum & mirabile quod parabatur opus patefeceret, opus inquam, quod ederet Deus Ecclesiæ fabricam moliendo, & à mari primos quosque Apostolos vocando.

Prima mundi naturalis productio ac creatio ab aquis cœpit, sic ab iisdem aquis noui mundi reparatio initium habuit. Rem explicio, Genesis exordium est, *In principio creauit Deus cælum & terram.* & mox subditur, *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Eodem scilicet instanti, & prout Deus res nouas creabat, ita Spiritus Domini super aquas ferebatur. Aquæ ergo initia & origine primæuæ noui fuere mundi. Sic quoq; Iesus Christus ab aquis felicia Ecclesiæ suæ ducere exordia voluit, cum iuxta littus ambulans maris Tiberiadis, duos cōspexit Apostolos, Petrum inquam & Andream, eosque ad sui sequelam inuitauit: *Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ vidit duos fratres, &c.*

Vt de sola Andree uocatione loquar, & Petri silentio inuoluam, cum illam mihi repræsentato,

sento, in mentem venit eius, quod tertio Regum libro scribitur. Ibi legitur Elias vidisse nubeculam e mari ascendentem, humana specie, quae deinde in ingentem versa est pluuiam. Hic animos cogitationesque vestras sustollite allegoricorum sensuum indagatores, & in S. Andree vocatione simile quid contigisse cogitate. Redemptor enim haud procul a mari hunc conspicatus Apostolum; velut nubeculam quandam ipsum cernit, quae deinde in magnum doctrinae ac sanctitatis nimbum excreuit, vniuersum terrarum orbem, ac praesertim ferax Ecclesia solum humectans & irrorans.

Ceterum mox vt Andream Redemptor ad se vocauit, ipse vocantem sine vlla dilatione, nullis dum visis miraculis, omnibusque valedicens rebus, secutus est: in quo ingentem erga Deum amorem, & promptam ad iussa eius obedientiam patefecit. Abraham Patriarcha cum heroicum illud, immolationis scilicet proprii & vniuersi filij sui Deo, opus perageret, ilico ab Angelo apparente audiuit, *Nunc cognoui, quod timeas Deum.* perinde ac si diceret; Agnosce ex hinc mundus, quo Deum amore complectaris, & quam maiestatis eius iussis refragari minime audeas. Tum scilicet vere nostrum erga Deum amorem, pietatem, ac verum timorem patefacimus, cum illum offendere verentes, carissima quaque relinquimus. Sic quoque Redemptor ipse apud Lucam docebat: *Nisi quis renun- rauerit omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus.* S. Andreas ergo hanc doctrinam dum sequitur, de veris ac genuinis filij Dei discipulis fuit, cum, quo ipsum seque- retur, omnibus confestim se abdicarit. Vnde de illo ac fratre Euangelista, *Relictis retibus secuti sunt eum.*

Iudas Machabaeus cum suis ad conflictum pergens hac eos ante oratione compella- uit, & praemonuit: *Non concupiscatis spolia, quia bellum contra nos est; sed stete nunc contra inimicos vestros, & expugnae eos, & sume- tis postea spolia securi.* Qua suos Redemptor discipulos oratione compellauit, ad omni- bus valedicendum, sibi que obediendum eos exhortatus, illi Iudae Machabaei orationi esse videtur persimilis. Equidem hanc vobis repeto, fideles, vobisque auctor sum, vt, cum

hostes habeamus acerrimos, & continuum nobis noctu & interdiu bellum, ipsumque sanguinolentissimum immineat, mundi hu- ius rebus nos in tantu haud immisceamus, il- lius manubias ac spolia minime cosectemur, sed generose nos defendamus, & aduersarios superemus, quia relata de hoste victoria, & conflictu egressi honoribus, voluptatibus, & aeternis diuitijs comode & qua abundatissime tu demu perfruemur. Si n. modo spolijs vos oneratis, timendu est, ne ipsu postea excida- tis, simul & vitae iacturam faciatis.

Gloriosus Andreas noster diuinum hocce Magna consilium secutus, & bene monenti auscul- tans, generosa quadam mente & constantia omnia terrena vili pendit, & cuncta negli- gens, nullo terrenorum spoliolum desiderio, Christo se- clesum vocantem confestim sequi constituit, quando.

illius voci promptissime obediens, illiusque se obsequio vna cum fratre Petro mancipas. *Num. 10.* Huius forsitan rei ratio est, quod magni in Ecclesia futuri essent Sacerdotes ac Praesules. In huius rei figuram iussit olim duas tu- bas argenteas conflari Deus ad milites ac duces ad castra conuocandos. Haec autem earum inflandarum seruabatur ratio: ad duces ac principes euocandos non nisi semel clan- gebatur, sed si gregarij exciendi, frequentior erat clangor. Hoc discrimine denotabatur, Praesulem, Sacerdotem & Clericum quae mli- bet, qui populi sunt antesignani atque Ec- clesiae duces, ad primam caeli vocem, & mi- nimam Dei inspirationem conuolare sua, ad bellum se parare, mundo egredi, ac Redem- ptorem sequi debere. Saecularibus vero lon- giori & concisiori opus est sono, moniti- que frequentioribus, vt vitiorum caeno e- mergant, Dei iussa capeffant, obsequio illius se mancipent, honoremque tueantur. Laudē

haec in re meretur Andreas noster, quod Dei filiu ta prompte vocante sit secutus, cu nul- lum dum ab eo edi miraculu vidisset. Primu naq; quod fecisse eu Ioanes commemorat, in Cana Galilae contigit, *Et hoc est primu signu, quod fecit Iesus* Apostolis omnibus ia cum sequeutibus, & cultui illius adhaerenti- bus.

Non ob hoc dumtaxat S. Andreas dignus est laudibus, sed ob id praecipue, quod adeo cito ac prompte, tantaque generositate sit secutus, quando.

XXXX 2

Ioan. 4.

1. Reg. 18.

Figura.

Magna S.

Andree o-

bedientia

ad Christo

sequendo.

Gen. 21.

Luc. 14.

1. Mach. 4.

Moralis

scelus.

secutus eum, quem qualis esset, tum ignorabat, qui solus per agros & solitudines oberrabat, nullo comitatu, discipulis nullis, tenui indutus veste, facultates nullas possidens, ex elemosynis ac donis piorum victitans, omnibus exosus, praesertim Sacerdotibus ac Synagogae principibus inuisus, quem ut quis sequeretur, votum paupertatis ederet, & omnia desereret oportebat. Deinde ipsa quam sui sequacibus faciebat promissio, & merces, quam paciferebatur, quod scilicet illos hominum faceret piscatores, sectatoribus occasionem dabat cogitandi, rideri se ac ludibrio haberi. Nihilominus parui haec faciens Andreas; & nihil moratus vniuersa *religiosa omnibus secutus est eum.*

Hoc scilicet in sancto hoc Apostolo per Obiurgatio magni faciendum est, & admirandum. Illi eorum, qui vero e contra vituperio digni & reprehensivocati se- fione, qui, tametsi Deus tam saepe vocet, tot qui Chri- signa exhibeat, tot patret miracula, tam- stum no- amplam spondeat mercedem, tot tamque- lunt. graues incuriat minas, ipsum tamen deserunt, illique nolunt adhaerescere: sed adolescentem Samuelem potius imitantur. Hic, ut e sacra- Reg. I. colligitur historia, a Deo de nocte vocatus, & ad vocem eius expectatus, confessum quidem strato se corripit, se ad Heli Sacerdotem iam grandaeuum & agriorem, alio in conclaui decumbentem abiit, idque tertio. Ec- quae pueri huius stoliditas est, Deo vocante, ad homines aduentis. cum Deum vocantem sequi oporteret? Hoc ipsum & pluribus hodie contingit, quos Deus quotidie ad se vocat, sed quoniam nocte, id est, tenebris & caligine vitiorum occaecati vocantur, hinc a Deo abeunt, & ad senescentem Heli, id est, decrepitum ac morbidum mandam se conferunt, eique seruire malunt, quam Deo aut Iesu Christo. Quam hominum caecitatem deplorans Deus sic per Ieremiam conqueritur, *Et locutus sum ad vos mane consurgens, & loquens, & non audistis, & vocavi vos, & non respondistis.*

Inuestina Quoties vero, cheu, peccatores ad se vocat in eos, qui Deus ille clementissimus, eius tamen voci inspiratio- non auscultant: quot inspirationes, quot pre- nibus diui- dicationes, quot motus interni, quot monita- nis non- exteriora, quot secretae inuitationes, ceu Dei auscultant. voces immittuntur? has tamen omnes adeo-

non audiunt aut sequuntur, ut etiam conte- Item in- mnant, rideant, & aduersus bene monentem eos, qui- peccando insurgant. Permulti enim aduersus conciona- concionatores, veros Dei nuntios ac legatos tores ex- ad veritatem nuntiandam emissos insurgen- plodunt. tes, sine vilo humano intuitu, neu diuina morati iudicia, varias in ipsos irrogant iniurias, ignorantiam illis impingunt & hypocrisin, quin etiam Pseudopphetas nominare non verentur.

Dauid cognito Regem Ammonitarum Naas, quocum societatem amicitiamque, in- 2. Reg. 10. terim dum exagitaretur aduersis, & a Saulis facie fugeret, inierat, fato functum esse; filio- 1. Par. 19. eius Hammoni regni haeredi idem prestare officium, quod sibi olim pater, voluit, & nuncios ad illum destinat, tum in patris eum morte consolaturus, tum de adepto illi regno congratulaturus. Legatorum oratione audita, Rex etiamnum adolefens, consilia- riorum prauorum suggestionem turbatur, sus- Pratum- picionemque concepit, non nisi explorandi- consilium- causa hanc ad ipsum legationem Dauidem regis Am- adornasse, ac regno ipsius inhiare: breui- monitarii- quippe copias submissurum, quibus & ipsum regno pelleret, & sibi illud vindicaret. Iuue- nis ille princeps his verbis quam leuissime auscultans, tanti regis legatos indigne ad- modum habet, median illis barbam abradit, & vestes pube tenus prope decurtari iubet, hacque infamia notatos domum ablegat. Quo auditu Dauid iratus insignem hanc contumeliā ac ludib. in bello illato vindicare statuit.

Non aliter hodie plerique nuntios ac le- garos Iesu Christi, Ecclesiae scilicet Catho- Deu irat- licae Doctores & concionatores habent, in- citur is, quo Hamnone illo barbaro atque impio slo- qui con- lidiore sunt, insolentiores, & deteriores. cionatores Quoniam vero praecones illi ac tubicines Eu- suos iri- angelici nudam illis veritatem proponunt, dent. hinc virulenas in illos stringunt linguas, & caninos dentes exacuunt, velut molossi in ipsos saeuunt, doctrinam illorum conuitian- do lacerant & conuellunt, famam ledunt, nomen denigrant, & vitam agendique rationem vbique qua possunt calumniose mendaciterque conuincunt. Vestes vero illis medias ac barbas praeseindunt, dicendo illos asinos ac bardos esse, & mediam dictorum par-

partem mera esse mendacia, alios nimirum centuplo doctiores longe secus & penitus contrarium sentire, iter coelum versus non esse adeo cliuosum, arduum ac difficile, neve adeo severum iudicem Deum, ut ipsi vulgo clamitant, quin imo quam vulgo credimus, elementiosè iactant, & fatuis hisce sermonibus populo imponunt, legatis Iesu Christi mediam praefecant barbam, & pube tenus vestes ipsorum concidunt, sed Deus optimus maximus, quem hoc modo non mediocriter irritant, impune eos habere non sinet, serius aut citius, sed tandem aliquando, uti de Ammonitis Dauid, vindictam deposecet. Hæc conclusionis loco dicta sint, quibus primæ concionis parti finem imponemus, modo ad alteram accingamur, & non nihil de Apostoli huius cruce, passione, ac martyrio loquamur.

Refert ergo historica series, sanctum hunc Iesu Christi discipulum, & Apostolorum principis Petri fratrem natu maximum, postquam varias peragrasset prouincias, animas plurimas ad Deum viamque salutis conuertisset, diuersos adisset populos, ad vitimas vique in insulas penetrasset, & terrarum incognita attigisset; tam inuicem mundum vniuersum habuisse, propositoque suo adeo aduersantem, ut idololatrias in eius peruiciam amarit, & in vitam conspirare coegerit, deo ut persequendi exagitantique ante finem illi non fecerint, quam ad mortem raptassent, & in crucem egissent: quod mortis genus omnium est crudelissimum & atrocissimum, sed summa semper constantia virilique generosissimis reservatum.

Huc referri queat, quod in Isaia legimus, *Et erunt campestris in caulas gregum, & vallis Achor in cubile armentorum populomoo, qui requisierunt me.* Gregibus & armentis suis mercedem Deus promittit, sed diuersam ac discrepantem. Greges minorum sunt pecudum, & animaliam tenaciorum, ut ovium, agnorum, caprarum, &c. sed armenta maiorum, ut bouum, bubalorum, camelorum, &c. quorum, & aliorum. Deus ergo minoribus animalibus loca spondet campestris, fertiles pacuas, & campos vberes & grammosos, ad est, & allegorici, vitæ tranquillitatem,

consolationum abundantiam, gaudium spirituale ac sexcenta aliarum gratiarum genera, animabus mediocribus, & non vsque adeo perfectis: sed armentis & animalibus maioribus, id est, animabus nobilioribus & illustrioribus vallem Achor, id est, crucem & tribulationes grauissimas addicit. De hac enim valle est in libro Iosue sermo, in qua sacrilegus Achan ille à populo lapidatus est. Vocatur autem vallis Achor, id est,urbationis, quia cupidi huius direptoris furtum vniuersas tribus Israel turbavit. Hic igitur lectus, thorax & thalamus Andreæ nostri exstitit, qui de armentorum fuit numero, & è generosissimis, quos vniquam sol est intuitus, viris. Crux igitur vallis est Achor: qui autem in cruce quietem inueniant, eaque lætantur, ex armentis sunt Iesu Christi, ipsique persimiles, de quibus in Apocalypsi sermo est: *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas in sanguine agni.* De cruce porro venite, uti Andreas venit, & tam atrox subire supplicium, est de magna tribulatione venire. In hac Apostolus nosse delectatur, & gaudet, hoc Apostoli Pauli re ipsa exequens, *Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus.* Atque hæc est consolatio, & honor, quem confert Deus ijs, quos habet carissimos, & qui ad perfectionem toto conatu ac studio incumbunt.

Sabalus piscis, ut quidem animalium descriptores memoriae prod. dere, & piscatores Sabali pisces natura. tradant, in fluminibus & aquis dalcibus oua ponit & excludit, sed ubi piliculos ac foetus excreuisse videt, inde educetos in mare deducit, in quo nimium quantum excreseunt, tantæque molis sunt, pares ut non alat oceanus. Omirabile nature arcanum, & ad mysterium longe admirabilius viam nobis patefaciens. Prouido huic pisci, quoad prouidentiam & electorum suorum directionem gubernationemque Deus ter maximus haud dissimilis est. quamdiu enim iusti parui sunt, & ad summas nondum virtutes perfectionesque peruenere, dulci consolationum eos aqua fouet, ac pascit: sed iam grandiores effecti ac perfectiores, in vastum tribulationum pelagus conijciuntur,

ad vallem Achor deducuntur, per crucem transeunt, vti Andree nostro contigit, qui in cruce exspiravit, tuamque virtutem ac constantiam tam atrocis supplicij tolerantia consignavit.

Insignis Singularem hoc pacto in sanctum hunc honor An- Apostolum gratiam Redemptor contulit, dum dreg in cruce crucis suae honoris illum fecit participem, idemque mori, ac supplicij genus illi secum instat Christi esse voluit commune. Praevideisse hoc Sapiens stii. videtur, ac re ipsa expressisse, dum quodam

Sap. 8.

scribit loco: *Similipena servus cum Domino afflictus est, & popularis homo Regi similia passus est.* Hoc in Apostolo nostro certissime locum habuit, cum vt servus idem cum Domino suo IESU CHRISTO subit supplicium, & vti simplex aliquis in cruce instat DEI filij moriendo, verè dicitur, *popularis ac pauper homo similia Iesu Christo Regi regum supplicia ac martyrium perpetuisse.*

Vasallus, si

Sanè si quam includit nonnullorum mors etiam probrosa gloriã; non minima sanè princeps subiecto ac famulo futura est consolatio, eadem morte posse emori morte, & eadem subire supplicia, quæ Dominus ac Princeps, Exemplo id solationem Phocionis fiet illustrius. Hic ergo cum mortiferum manu venenum teneret, ad quod iam

Plutarch.

Erasmus lib. 4. Apophtheg. iij.

1.

iniqua iudicium sententia, in ingrata patria, erat condemnatus, læto se animo ad mortem paravit instantem, sed qui eodem in carcere vinculus tenebatur, Tudippus nomine, plebeius homo, eodem mortis genere etiam enecandus, eam haud æquo animo tulit: suam enim calamitatem, sortemque adversam deplorabat, querebaturque hoc se mortis genere iudicium sententia intermori, cui magna constantia Phocion, *Num tibi satis est cum Phocione mori?* quasi diceret, Cur tantoperè affligeris Tudippe? quid mortem adeo exhorrescis? an non tibi perquam honorificum est cum Phocione viro innocentissimo, rebusque gestis clarissimo mortem oppetere? Andreas noster alios longè animos præferens, & eodem mortis genere, quo Dominus ac Rex cœlestis, demoriens, tanti hocce beneficium duxit, tamque id sibi gloriosum ac magnificum credidit, vt lætus atque hilaris ad supplicij properans locum, eminus conspectam crucem his salutarit verbis, *O bona crux iam diu desiderata, & concupiscendi animo preparata, securus & gaudens venio ad te.*

S. Andree morientis constantia.

Insolens ille Aman, interrogatus ab Assuero Rege, equo afficiendus honore esset is, quem Rex honoratum ab omnibus velle, non omnino præter rem respondit, *Homo quem Rex honorare cupit, sedere debet super equum, qui de sella Regis est.* Iesu Christi equus, quem aduersus inimicos nostros bellaturus conscendit, ipsa crux est; cum ergo Andream eidem insidere equo, id est, eandem subire crucem voluerit, maximum hunc fuisse honorem, qui creaturæ alicui conferri possit, putandum est. Quam verò illustres etæque plurimæ in veteri Testamento & lege Mosæica honorem hunc præsignarunt figuræ.

Primitiæ frugum ac segetis si quando Deo offerendæ essent, igne eas vtilari idem ipse iussit, verba legis hæc sunt: *Si obtuleris primitias frugum tuarum de speciebus adhuc virentibus, torrebis igni.* Sanctus Andreas prima fuit spica, quæ Ecclesiæ in agro conspecta est, atque, vt sanctus ait Bernardus, *prima vocatio Saluatoris*: quapropter in cruce cum immolari oportebat; non tamen sine igne: nam biduo ipso in hoc cruciatu perdurans, velut alter rubus deferti, ardentissimo diuini amoris incendio ardebat, non tamen adurebatur.

Quam fuit egregium ac iucundum spectaculum, videre Ionathæ principis armigerum, animositate & amore herili plenum, per montium prærupta, ac rupium inaccessa proserpere, indeque in hostes magnam longè lateque stragem edere, dominumque præcuntem per mille vitæ sequi discrimina: tam illustre ac præclarum fuit, post aliquot sæculorum centurias, generosum Iesu Christi discipulum Andream, robore alioquin & virtute repletum, in crucis cernere montem conscendentem, per tormentorum scopulos proserpentem, in idololatrias detonantem, & magno vitæ cum periculo, eodem in passionis bello Dominum ac Regem suum magna constantia ac generositate sequentem.

Redemptor in lege doctum Nathanaelem sic est Ioannis allocutus, *Videbitis caelos apertos, & Angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis.* Videntur autem verba hæc ad priscam Patriarchæ Iacobi visionem alludere, sed in Andree nostro re ipsa adimpleta sunt: videte namque, vt hodie, velut Angelus quidam, crucis scalam ascendat, & ei innitentem

tenentem conspiciat Redemptorem IESVM. caelos intueatur apertos: atque hoc pacto figuræ verificentur, & prophetiæ complentur.

Inter varia, verissima tamen, summeque admirabilia diuinæ potentiae argumenta, hoc à lobo velut primum ceterisque admirabilius recenseretur: *Extendit caelos solus, & graditur super sinum maris, qui facit Arcturum, & Orionem, & hyadas, & interiora Austris, qui facit magnam & incomprehensibilem, & mirabilia, quorum non est numerus.* Obscura & inuoluta hæc verba sunt, & astrologiam ac mathesin sapiunt, quæ Sanctus Gregorius expositurus, aliud explicationis gratia non addit, quam, *Quid mirum, quod fecerit hæc, qui fecit omnia?*

Verum aliorum hoc super mysterio Patrum expositiones peruolutas, ænigmaticis hisce verbis maius quiddam ac sublimius comperio Prophetam designare voluisse, puta spiritualem Ecclesiæ constructionem. Per caelorum igitur extensionem sanctorum Apostolorum capio martyria ac passiones: illi namque veri quidam ac noui sunt caeli, quos Deus extendit. Per fluctus autem marinos Ecclesiæ intelligas persecutiones: Arcturus verò, quod sidus est septem stellis, semper circa borealem polum versantibus, conflatum est, septem Spiritus sancti dona representat, Ecclesiam semper protegentia & auxiliantia, quæ assidue quidè & nunquam non exagitur, nunquã tamen opprimitur aut mergitur, quia portæ inferi nõ præualebunt aduersus eam. Orion & hyades adhuc sunt stellæ, quæ circa autumnii finem & hyemis exordia tempestates causantur, atque hæc Apostolos & Martyres representant, aduersus quos atrocissimæ concitatae sunt procellæ & turbines tempestuosissimi.

Apostoli porò noui illi Ecclesiæ fuere caeli, de quibus cecinit olim Pfalter, *Caeli enarrant gloriam Dei:* eò quòd per doctrinam Euangelicam vbique terrarum gloriam Dei annuntiarunt, eorumque conuersatio planè cœlestis erat. testis ille, qui de se suisque collegis ait, *Nostri conuersatio in caelis est:* perque cœlestes quosdam influxus ad vnum omnes Ecclesiam fundantur. Hos verò caelos tum extendit ac dilatavit Redemptor, quando eos ad Euangelium omni creaturæ prædicandum per omnes mundi angulos emisit, dicens, *Euntes prædicate Evangelium omni creaturæ, &c.* Charitate in qua

eos diffudit & extendit, vti Corinthiis scribit Apostolus, *Cor nostrum dilatatum est ad vos.* Verum inter omnes hosce caelos præ cæteris duo fratres, Petrus & Andreas, maxime dilatati & extensi sunt, cum ille Romæ capite in terrâ obuersos; hic verò Patris Achaïæ vrbis in cruce sit actus sub Præsede AEGEAE, vbi biduo in cruce hic viuus perseverans viginti hominũ milia prædicatione sua Christo lucratus est.

Exclamare ergo hic iuuat, o patientiam admirabilem! o constantiam incomparabilem! Hic ergo vir magnus ad crucem condemnatus, vt ad supplicij locum ductus est, & eminens gloriæ suæ argumentum conspexit, velut cygnus quidam fato vicino exultans & plaudens, eam salutare cepit, & corde & ore exultando exclamare, *O bona crux, &c.* In quo Pauli est constantiam & generositatem imitatus dicens, *Mhi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Crux igitur vnica Andree nostri gloria, amor, gaudium, voluptas ac delectatio fuit. Et in ipso non minus quam reliquis Apostolis adimpleta illa Redemptoris fuit prophetia, *Beati eritis, cum vos oderint homines; gaudete in illa die, & exultate.* S. Andreas ergo passionis suæ die exultat & plaudit, magnaque gelientis animi significatione crucem amplectitur, & eidem se gratanter offert.

Solet amor extases, raptusque quosdam extra statum mentis causari, hominesque laboribus, tormentis ac cruciatibus insensibiles reddere. Figuram Geneseos suppeditabit liber, Iacob Patriarcha cum quatuordecim ipsis annis in domo Labani magna laborum & ærumnarum tolerantia, Rachelis potiunde spe, seruum egisset strenuum ac sedulum, ad eò illum amore & affectu captum fuisse tradit Scriptura, vt quatuordecim illi anni, tametsi duri ac laboriosi, pauci illi præ amoris magnitudine viderentur. Amoris scilicet vehementia omnem illi laborum ac sudorum sensum abstulerat. Amoris namque proprium est, sensus quodam modo soporare, rationis usum tollere, iudicium fascinare, difficillima quæque reddere facilia ac leuia, carduos denique in flores, & ablynthia in faccarum conuertere.

In horum omnium signum ipsemet Saluator ob insignem, quo Ecclesiam sponsam suam prosequeretur, amorem, acerbam illa que pertulit flagra, pungentes illos spinarum aculeos,

2. Cor. 6.

S. Andreas
Patris crucifixus est.

Gal. 6.

Matth. 5.

Gen. 29.

Amor pœnas reddit
insensibiles.

105.

forida illa ac putrescentia spuma, & vndantissimum illud suppliciorum passionis suae diluuium, non nisi guttulas esse aliquot dixit, a quo rotulentum noctis humorena: sponfam quippe suam compellans sic loquitur, *Aperi mihi soror mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis nocturnis*. Per rorem hunc & guttas nocturnas, inflatissimos torpennarum ac tormentorum, quae pro nobis in monte Caluariae pertulit, torrentes, oceanos ac diluuiam intelligere sponsum pro comperto est. Persuadet scilicet amor, elephantes non nisi tenues esse muscas, oceanos guttas videri, montes in atomos esse conuersos. Ita nempe nimius amor decipere ac fascinare hominum mentes solet.

Cant. 5.
Amor parua reddit illa, quae magna sunt.

Hinc etiam vicissim sancta illa sponsa, extremum & incomprehensibilem sponsi sui amorem perspectum habens intumescit penetrans, passionem eius non nisi myrthae fasciculum sub Cantici vocat initio, *Fasciculus myrthae dilectus meus mihi*. Cum dicere, & quidem verè potuisset, quoddam ipsam myrthae nemus fuisse, id est, infinitum quemdam & immensum poennarum, tormentorum, aliarumque rerum grauium affligentiumque, quatum myrthae symbolum est, ceruum deus, velut de fasciculo loquitur, ingentem sibi preponens amorem, qui dolores illos adeo minuebat & deprimebat, vt quasi vix entium viderentur. Adeo vt eum sub charitatis nomine exaggerans sic postea loquatur, *Fortis est vt mors dilectio tua, aqua multa, id est, tribulationes infinitae, non potuerunt extinguere charitatem*: quasi diceret, Adeo quidem vehemens & fortis tuus est amor, eum vt mors expugnare nequit: tuaeque charitatis flamma ita ardens, vt omnes oceanis aquae, id est, quaelibet persecutiones & aduersa mundi eam extinguere non valerent.

Cant. 1.

Cant. 8.

1. Cor. 1.

Iob 13.

Hic robor & auctoritatem addit Apostolus, dum charitatem omnia ait tolerare: *Charitas omnia suffert*: id est, Amor adeo fortis, ingens ac potens est, vt omnia perferat, omnia perfringat, omnia exsuperet, nihil illi difficile, nihil arduum, nihil impossibile videatur. Idem sapiebat & Iob, cum erga Deum amore æstuans dicebat, *Etsi occiderit me sperabo in eum*. id est, vitam tollat, omnes, quas potest, afflictiones immittat, non propterea amare illum de-

sinam, numquam amoris nexum dissoluam, numquam quem sponendi affectum exuan, illi indiuisus adhaerebo, & ab ipso numquam spem meam diuellam.

Magnum quidem est, atque imprimis mirabile, mortem pro Iesu Christi nomine equanimiter pati, eamque non perhorrescere: vt & Paulus Apostolus id velut spectaculum credat mundo, angelis & hominibus exhibitum. *Ve. 1. Cor. 4.* rum ridendo mori, patientem exultare, crucem amplecti, ad passionem laeto animo propere, prodigij loco habendum. Hoc vni Andreæ referuatum est, qui propterea dicere non immerito, ac potiori iure quam olim Pfaltes, potuit, *Tanquam prodigium factus sum multum*. *Psal. 70.* sensus est: *Qui meas viderunt afflictiones & aduersa, & quo eadem animo & constantia pertuli, id velut prodigium habuere.*

Iob, tamen cœu patientiae habitus exemplum, & ob singularem animi in aduersis magnitudinem omnium stupor: in medio tamen afflictionibus tremebundus ac velut quiritabundus dicebat, *Neque fortitudo lapidum fortitudo mea, neque caro mea aenea est*. quasi diceret: *E tribulationum mearum est magnitudo, vt ad minimè eam sentiendam, aut sine quiritonia subeundam, pectus quoddam marmoris, aut praecordia aenea necessaria sint.* Verum Andreas nosse marmoris ac ferri duritiam patientia longè vicit, dum in medio tormentis exultat, hilari animo morti sese offert, ad supplicia lætus properat, crucem denique mortis imaginem tanto cum honore salutat, dicens, *O bona crux*, &c. eamque amplexatus, & ipsam gratulabundus confendit.

Suis in sermonibus fabulam Vlyssis moraliter exponit D. Ambrosius. Vlysses enim prudentia ac vafricitate vir singulari, vt quidem Poetae fabulantur, quò praesentia naufragij discrimina & scopulos effugeret, & illices Sirenum cantus sine noxa praeteriret, malo nauis se alligari iussit, itaque se suosque discrimini subdidit. Vt fabulam hanc veritate conuestiamus, cogitemus necesse est, in medio Ecclesie, quae toties nauis comparatur, arborem esse, sanctam inquam crucem, in quam Saluator semel actus, omnes omninò mortales ab interitu vindicauit: in qua bonus latro etiam tum confixus aeterni naufragij discrimen euitauit, & feliciter salutis est portum inuectus. In qua deinde & S. An-

Patientia Andreæ laepat lapidum & crux duritiam.

Vlyssis fabula moraliter exponitur.

S. Andreas, ac plurimi sanctorum eadem ratione mundi huius pelagus ac fluctus sine noxa & indemnes euaserunt.

Salomon huc visus est alludere, cum in libro Sapientiae scribit, *Exiguo ligno credunt homines animas suas, & transeunt mare per ratem liberati sunt.* Scio ad litteram sermonem esse de ijs, qui mare nauigant, fluctuumque ac ventorum inclementiae se committunt, qui interim dum in nauis versantur, non nisi duobus à morte absunt digitis, atque omnis illorum vita & incolumitas non nisi ab exiguo ligno ac tabula nauis dependet; sed allegoricè de cruce Sapiens locutus est, quæ in oculis quidem infidelium exiguum ac vile lignum est, & peccatoribus exosum, de quo Apostolus, *Verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est, nobis Dei virtus est.* salus tamen ac liberatio in paruo hoc ligno peragitur, suas omnis illi mundus credit animas, & sine illo salutem nemo ac sospitatem in Ecclesiae agens nauis, & procellosum mundi huius mare enauigans, consequi potest.

Exiguo hoc in tigillo sospes enatauit D. Andreas, tantum est in eo honorem consecutus, & martyrij lauream adeptus. Ad vile & contemptibile hoc lignum tanto gaudio aspirauit, hoc ipsum tanto honore est prosequutus, hoc denique tanto cum affectu salutando exclamauit, *O bona crux!* o sancta, ac sacra crux, crux planè regia, crux arborum omnium regina! quod rubus, olim in arborum regem delectus, liquido figurauit. *O bona crux,* crux venerabilis & adorabilis! antea quidem formidabilis & terribilis eras, sed te Iesus Christus modò bonam, illustrem, sanctam & admirabilem reddidit. Huius rei figura fuit virga illa Moysi, quæ in terram abiecta in serpètem mutabatur, sed à Mose iterum recepta in pristinam redibat formam. Profectò crux maleficorum supplicio destinata, atque ita velut profana in terram inter reos abiecta, maledictum quid erat & ignominiosum; sed Iesu Christo dum inseruuit, & in manus magni illius Prophetarum Regis recepta est, illustre quid, sanctum, gloriosum, ac diuinum facta est.

Hic ergo exitus, mors, passio, ac gloriosum sanctissimi Apostoli huius fuit martyrium: hæc patientia & inestimabilis S. Andree generositas. Considerate eum obsecro, Christia-

Bess. de Sanctis,

ni, in crucem actum, ac biduo in eadem viuètem. Perpendite (vt taceam supplicij grauitatem) poenarum longitudinem, dolorum continuationem, martyrij durationem, & quomodo hocce mors eum biduo oppugnet ac læcine: nulla indulta noctu aut interdiu requie, tandemque violenter cogat occumbere. Cogitate, carissimi, illius interim dum corpus tormentis exhauritur ac succumbit, animum tamen eodem tempore animabus conuertendis incumbere. Audissetis scilicet illum è media cruce, veluti è cathedra doctorali, toto tempore verbum Dei prædicantem, veritatem Evangelicam infideles imbuentem, idololatrarum errores ac superstitiones coarguentem, Dei unitatem rationibus naturalibus astruentem, familiaribus verbis & cum ratione congruentibus salutis iter ostendentem, horrendis peccatores obduratos minis percellentem, ac spe & mercede certissima fideles & poenitentes consolantem.

Sed quando o beate Apostole, o gloriose & triumphans martyr, in hac te cruce contempletur, videre mihi aliquem ex illis Angelis video, quos Iacob in scala illa mystica in cælum ascendentes conspexit. Sed in hoc quam perfectissimè te adimplesse comperio illud Seruatoris consilium, *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Tu etenim verè primus omnium temetipsum abnegasti, crucem tuam sustulisti, non uti Simon ille Cyrenensis, qui eam quidem vnà cum Redemptore portauit, sed in illa non expirauit; sed eam ipse & gestasti, & in eadem mortuus es, ac filium Dei secutus. Secutus es inquam vocantem, vt venires post ipsum, atque è piscium piscatore hominum heres piscator. Secutus es quoque exemplo ac vitæ imitatione, paupertatis votum edendo, vanitatem charitatem respirando, mundi vanitatem pedibus proterendo, terrena omnia contemnendo, & solam Patris cœlestis gloriam spectando. Toto etiam vitæ tempore eum secutus es, eius partibus adhærens, cultui obsequioque illius te dedicans, sacramenta eiusdem administrans, Euangelium annuntians, diuinitatem propugnans, Ecclesiae dilatationi incumbens, deque vitæ illius ac miraculis ubique terrarum testimonium reddens. Secutus es denique illum in morte, eadem cum ipso morte decubendo,

S. Andree prædicatio in cruce.

Matth. 16.

Yyy

bendo, eandem crucem tolerando, idem subeundo supplicium, eandem patiendo infamiam, iisdem denique tormentis te exponendo. Feliciter tandem post hæc omnia secutus es, velut Dominum fidelis famulus, vt duce generosus miles, vt principem supplex cliens, cœu pastorem innocens ouicula, vt gubernatorem sapiens discipulus, secutus inquam ad laborem, ad pœnam, & crucem in hoc quidem mundo, sed in altero ad gloriam, ad requiem, ad felicitatem sempiternam; ad quam nos Pater, & Filius, & Spiritus sanctus perducere dignetur. Amen.

INFESTO S. NICOLAI CONFESSORIS.

Partitio.

- I. De abusu donorum Dei.
- II. De Parabola expositione hominis peregrè proficiscens.
- III. De talentis.
- IV. De eorundem recto vsu.
- V. De S. Nicolai præclaris dotibus.

Homo quidam peregrè proficiscens, vocauit seruos suos, &c. Matth. 25.

FIGVRA.

IOB Propheta iustitiam olim suam sine vlla tamen vanitate prædicans, bona opera sua exaggerans, virtutes exaltans, & aduersus calumniantium insolentiam ac tela integritatis ac innocentia suæ honorem propugnans, inter alia, velut primaria virtutis suæ argumēta ac signa manifestissima, misericordie, quæ toto vitæ exercuerat tempore, opera producebat, dicebatque, *Oculus meus cæcus, pes meus claudus, & pater eram pauperum.* alio verò loco etiã amplius, *Ab infantia creuit mecum miseria.* quasi diceret: iam inde à primis annis, quantum ex crescebam aetate, tantum eademq; mensura mecum assurgebat charitas & misericordia. Quidquid sanctus hic vir, non sine modestia tamen, in se ac de se prædicauit, non minùs nos de Nicolao quodam repetere possumus. Nam eadē charismata spiritalia, quæ in illius Prophetae vita eluxere, nō minùs perfecta ac vera in huius Episcopatu dignitateq; comparuerunt. Re-

Job 29.

Job 31.

uera enim non minùs quàm priscus ille Iobus oculus ac pes fuit cæcus, ignorantes docendo, verbum Dei annuntians, animi alq; ad salutē exiēdo. Baculus etiã claudis, cum egenis auxiliatus, afflicto consolatus est, errantes in rectam semitam reuocauit, & imbecilles sua misericordia sustentauit. Verè quoq; pauperū fuit pater, de suis eos facultatibus alēdo, ophanos tuendo, puellas ob inopiã de castitate periclitantes nuptui tradendo, & alia sexcenta charitatis ac misericordie opera actitando. Hæc illum virtus iam inde à pueritia comitata est: nō etiamnum puer tribus quothebdomadis vicibus ieiunans, ab vberibus ac lacte materno abstinebat, & prout annis & corpore excreuit, ita sancta hæc virtus cum alijs plurimis in ipso fuit sumpsit incrementum, auxit, & increuit: nullus vt vir eo aut sanctior, aut Præsul dignior vniquam exstiterit. Equidem illius vobis hodierna die vitam describere, suisq; ipsum expressum coloribus proponere decreui. A precibus ergo auspiciemur, ac gloriosissimam precemur matrem, suo nobis vt auxilietur subdicio, salutationem illam sacram ab Angelo primum prolata illi dedicantes. *Aue Maria.*

Non ad eò noxium ac periculosum est diuinis carere beneficijs, quàm iisdem iam acceptis malè vti, eadem ad benefactorem suum oppugnandum conuertere, suamque hoc pacto ingratitude testari. Quid enim profuerit, cœlestibus donis & charismatibus cumulati, si in tuum ea commodum non conuertras, sed iisdem abutaris? hoc scilicet diuinam maiestatem infinite offendit. Hinc Nathan Propheta, Regem Dauidem ob commissa scelera verbis castigaturus, ante omnia donorum acceptorū ac gratiarum diuinarum abusum, & post recepta tot tantaque à tam liberali dextera beneficia ingratitude exprobrauit dicens, *Hec dicit Dominus Deus Israel, Ego unxi te in Regem super Israel, & ego erui te de manu Saul, & duxi tibi domum Domini tui, & uxores Domini tui in sinu tuo, dediq; tibi domum Israel, & Iudas, & si pauca sunt ista, adiecim tibi multo maiora. perinde ac si diceret: Tantos in te DEVS fauores accumulauit, totque sibi te beneficijs deuinxit, & tu iisdem malè es vsus; & quæ tibi eius colendi, honorandi, obsequendi esse debebant instrumentum & occasio, inde ad eundem oppugnandum arma ac tela de promptis: quod.*

Dei donis
si in abuti non
insignem
includit.

2. Reg. 4.